



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Bernardus Senens. Conf. 22. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

2. Aug. VITÆ SANCTORVM. 409
ad gladium damnavit. At SYMPHORIANVS præferri sibi secures non in supplicium sed triumphantum putavit, quem augustissimum mater triumphantis fecit, dum his vocibus è tecto & ipsa triumphans, acclamavit. Io! fili, triumpha! Io!
tecum mater triumpho! quid enim? Certè victorem filium, præferri secures, & sequi victimum tyrrannum video. Sed cur sine purpurâ? fallor; an tuus hanc crux dabit. Et cur sine coronâ? iterum fallor, cælum hanc dabit, nec è mortali lauro dabit. Superi! filio jam supervivere matrem juvat, juvat oculos claudere. Audite votum novum sidera, & tu fili, i, sanguine subscribe. Hæc aut similia mater: filius interim cælestis jam Capitolum victor tenebat. Ex Surio.

Queris aurum, &, si volueris, forte non habebis; -
Deum cùm volueris, habebis; quia & antequam velles,
venit ad te; & cùm aversa voluntate esses, vocavit te;
cum conversus esses, terruit te; & cùm territus confite-
ris, consolatus est te. S. Aug. sup. Ps. 32.

S. BERNARDUS SENENS. CONF.

22. Augusti.

Enis oriundum sive JOANNEM sive BERNAR-
DVM dicas, nunquam nomen mentietur, sem-
per virginis clientem loquetur. JOANNES à puero
adagetatus, cùm mansuetorum musarum ductu
d Themidis adyta penetrasset, & quas didicerat
nòdò leges cum plausu jam doceret, quò rectius
humana perspiceret, in oculorum gravissimam
zgitudinem incidit. Placuit à MARIA veriori
Cynthiâ lumen mendicare; huic, si oculos illa
reddat, totum hominem vovet. Voti damnato
dies interim appetebat, quo disputandum pro
S more

more in publico erat. Hic dum Codicem , dum Digesta frequens corona hiat , ille alia omnia ingressus dicere contra legem hominumque vanitatem declamat; eam vel cœcūtientibus nuper oculis se ait pervidisse ; ne mirarentur , si hi redditia VIRGINE humana omnia despicerent deinceps, & cælo esse : sequerentur illi oculatum nunc Doctorem, qui lippientem nuper. Finem orationi fuga dedit in montem olivis nobilem, quò pluribus jam concurrentibus, JOANNES scalas è cælo, & in his descendere beatos genios vidi , secumque candidatos quām plurimos ad VIRGINEM FILIVM QVÆ VIRGINIS abducere, quod visum nequaquam somnium esse tunc credidit , cùm Pontificis auctoritate vestem pro suis ex cæli sententiâ candidam , leges à D. Benedicto sanctitas, Ordini nomen à MARIA de Monte Oliveti , ipse BERNARDI accepit. Obiit dum sociis, à peste infestis oculos pius claudit ipsissimus ocellus cæli, ex quo utinam ô MARIANI Argum faceretis ! Ex Chron. ejusd. Ord.

Quantum illi laudandi atque prædicandi , qui dignati non sunt cum mundo florente florere ; tantum increpandi & accusandi sunt , quos perire cum pereunte delectat. August. epist. 45.

S. ANTHUSA VIRG. 22. Augusti.

ANTHVSAM patria Seleucia, in hac nobiles parentes, apud hos raræ opes, & cum his rarior forma commēdabat. Sed illa additura aliquid formositatis etiam animo , Christiani fontis balneas suspirabat, & lavari à Tharsensi Antifite Athanasio exoptabat. Quare veluti ad nutricem invisura currum comite uno alterōve servulo concendit.

In-